

ORDO BAPTISMI

PARVULORUM.

TITULUS UNDECIMUS.

SUMMARIUM.

- 1 Nomen Baptizandi in casu vocativo pronunciari debet.
- 2 Patrini respondere debent verbo, seu voce, non nutu, aut scriptis, et latine.
- 3 Exsufflatio fieri debet ore lato.
- 4 Insufflatio quid significet?
- 5 Signum Crucis cum pollice quid sibi velit?
- 6 Pollex digitus unde dictus?
- 7 Crux integra facienda in fronte, et pectore Baptizandi.
- 8 Crucis Caeremonia antiquissima ab Apostolis inventa.
- 9 Manus impositio sufficit ut fiat moraliter.
- 10 Ad diversos effectus Crux antiquitus fiebat.
- 11 Baptizandorum capita olim lavabantur.
- 12 Capiti-labium quid esset antiquitus?
- 13 Manus impositio quid significet?
- 14 Benedicere est officium solius Sacerdotis.
- 15 Sal duplici modo, et ad duplicem finem benedicatur.
- 16 Sal quare priusquam Aqua benedicatur?
- 17 Sal debet esse candidus, mundus, et siccus.
- 18 Sal erat in usu apud Gentiles in Sacrificiis.
- 19 Sal cur immitatur in os Infantis.
- 20 Non multum Salis immittendum est in os Baptizandi.
- 21 Tempus limitatum imponendi salem in os.
- 22 Stolae pars Praeaevetur Baptizando cum introducitur in Ecclesiam.
- 23 Symbolum Fidei recitatur a Baptizando, et pro eo, a Patrino.
- 24 Fidei professio praecedat Baptismum.
- 25 Symbolum Apostolicum, non Nicaenum recitatur a Baptizando?
- 26 Oratio Dominicalis quare recitatur a Baptizando?
- 27 Oratio Dominicalis an sit unum Sacramentale?
- 28 Exorcistae munus permittitur unicuique Sacerdoti in Baptizando.
- 29 Exorcismi in Baptismo ad quid inserviant?
- 30 Energumeni an sint Baptizandi?
- 31 Nares quare saliva tangantur?
- 32 Saliva quare adhibeatur in Baptismo?
- 33 Ephpheta quid significet?
- 34 Adaperire reticere debet, non recitari a baptizante.
- 35 Abrenunciaciones faciendae a Baptizando.
- 36 Res consecratae a solis consecratis pertractari debent.

- 37 Stola violacea quare in albam convertatur?
- 38 Baptizandus debet interrogari nomine expresse?
- 39 Interrogatio triplex esse debet.
- 40 Tactus physicus requiritur in Patrini dum suscipiunt.
- 41 Cognatio spiritualis contrahitur a mandante, non vero a Procuratore.
- 42 Infans tenendus est a Patrini cum facie prona in Vas.
- 43 Verba formae in Baptizando semel pronuntianda sunt.
- 44 Abstergio Infantis post ablutionem facienda.
- 45 Immersio aprobatae est ab Ecclesia, sed non ubique locorum.
- 46 Acta Mediolanensis Ecclesiae sunt fontes Sacrorum Rituum.
- 47 Matrina quatenam vere sit?
- 48 Baptismus sub conditione quando vere ministretur?
- 49 Cur Infans inungatur in summitate capitis?
- 50 Digni intingendi, non immergendi in Oleum.
- 51 Sudarium Album imponitur loco vestis.
- 52 Vestis Alba quid significet?
- 53 Candela quae defertur, debet omnino accendi, non alia.
- 54 Candela accensa quid significet?
- 55 Salutatio ultima danda Baptizato.
- 56 Plures Infantes baptizare unico actu quando liceat?
- 57 In tali casu quatenam dicenda sint in plurali numero?
- 58 Masculi ad dexteram collocandi sunt.
- 59 Caeremoniae Baptismi dispensantur in casu mortis.
- 60 Morientium unica infusio sufficit, nec supplendum si vivat.
- 61 Aqua baptismali deficiente suppleri potest Aqua simplici.
- 62 Susceptores admonendi sunt de cognatione spirituali.
- 63 Cognatio spiritualis impedit, ac dirimit Matrimonium.
- 64 Cognatio spiritualis quid sit?
- 65 Infantes tenere in lecto sine repugulo prohibitum.
- 66 Parentes commonendi de educatione filiorum.
- 67 Filii illegitimi non sunt lactandi ab infidelibus.
- 68 Nisi de consensu Ordinarii in casu necessitatis.
- 69 Baptizatorum nomina immediate scribenda sunt in libro.
- 70 Liber Baptizatorum haberi debet a Parocho.

Ne in praxi deficiat Parochus, ad ea quae pro theorica, in antecedentibus Titulis, exposita sunt, descendit Rituale nostrum ad manuales instructionem, et ut ita dicam, manuactionem Parochi, ut rite, et recte in ministrando Baptismi Sacramento, munus suum impleat, hoc pacto.

§. I. N. Quid petis ab Ecclesia Dei?

1 Non a ministro Ecclesiastico postulatur Fides per baptizandum, sed ab universali communionem fidelium qui Ecclesiam componunt. Minister potest errare. Ecclesia vero Dei per Spiritum Sanctum infallibilis est, atque in credendo non potest errare; nam spiritus Veritatis est hujus corporis Anima. Melch. *Can. locor, Theol. l. 4. cap. 4.* Imo est columna et firmamentum Veritatis, Beccan. *Manual. l. 1. cap. 3. concl. 2, num. 17.* Nomen itaque baptizandi nomine Ecclesiae totius

peritus, et pronunciat in casu vocando, sive masculini, sive foemini in generis sit, verb. grat. Hieronyme, Carole, Flavia, Clara, etc. De nomine imponendo vide *Tit. 93. num. 15.*

§. II. Patrinus respondet: Fidem.

2 Respondere debet Patrinus verbo expresso, et claro non nutu, unde prout supra diximus, qui muti sunt, arcentur a ministerio Patrini. Insuper latine respondeat; et praecisa verba praescripta in rituali, *c. Parvuli. de consecrat. Clericat. d. dec. 40. n. 5.*

§. III. Deinde ter exsufflet leniter in faciem Infantis, et dicat semel: Exi ab eo, etc.

3 Ista exsufflatio fieri debet ore lato, non stricto, ut expiratione sit tepida, non frigida, ne noceat Infanti, Gobat. *tr. 2.*

Sed ut sensus, et mysteria harum caeremoniarum apud fideles innotescant, et in veneratione sint, addam hic significationem quarumcumque caeremoniarum, quae in solemnibus Baptismo occurrunt, prout ex optimis, et probatis Autoribus collegi; et ex *decret. 3. p. d. 4. c. 73. et seqq.*

4 Igitur insufflatio ter facta in faciem infantis est juxta illud, Marci 16. *in nomine meo daemonia ejicient*, Clericat. *d. dec. 45. n. I.* Christus quoque insufflavit, et dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, Jo. 20.

§. IV. Postea pollice faciat signum Crucis in fronte, et in pectore Infantis dicens, etc.

5 6 Signum hoc faciendum est pollice rationibus, et causis jam supra in antecedenti titulo explicatis. *Pollex* dicitur a *polleo*, sive a *pollendo*, quia ipse digitus est, qui toti manui vim praestat, robur dat, et eo stringente, multa fieri possunt. Durand. *rational. l. 6. cap. 48. num. 5.* Clericat. *de confirm. decis. 56. num. 7. et seqq.*

7 8 Crux tota integra facienda est in fronte, et in pectore baptizandi, ut daemones de caetero vereantur pugnare cum Catechumeno, Tertull. *l. d. Res. carnis.* Antiquissima caere-

monia est formatio Sanctae Crucis ab Apostolis tradita, et in Veteri etiam Testamento praesignata, et figurata a manuum elevatione Moysis contra Amalech, ut ait D. Cyprianus *lib. de exhort. martyr. cap. 8.* Serpente aeneo, ut testis est ipsemet Christus, et signo *Thau* in frontibus dolentium, atque gementium. Propterea indigne plerique rem tam antiquam, et ab universa Ecclesia usurpatam, tamquam inimici Crucis Christi reprehendere conati sunt, et rejicere, aperte se ministros declarantes ejus, qui hoc semper per omnes Haereticos molitur, ut Crucis Dominicae memoria aboleatur. In hoc signo Crucis Apostoli nobis breviter comprehenderunt praecipua Religionis nostrae capita, ad quae credenda, et aperte cognoscenda Christiani omnes obligantur: ut sunt Sanctissima Trinitas, Incarnatio, et passio Christi, remissio peccatorum, et denique gloria caelestis. Quae omnia, tametsi diserte in Symbolo suo explicuissent; voluerunt, tamen, eadem sub compendio, in hoc signo Crucis comprehendi. Haec et alia plura de Crucis signo affert Card. Valer. *in Thesaur. piar. instit. p. 3. c. 2. et. 3.*

§. V. Deinde imponat manum super caput Infantis, et dicat, Oremus. Omnipotens, etc.

9 10 11 12 13 Ista manus impositio sufficit si fiat moraliter, et sit quasi impositio, nec tangatur caput baptizandi. In Sacra Scriptura ista impositio manus fiebat ad diversos effectus, ut videre est apud Clericat. *de Confirm. dec. 53. n. 2.* In nostro casu Sacerdos imponit manum, quia olim lavabantur capita Infantium, seu baptizandorum in Dominica Palmarum, et dicebant *Capitilavium* ob reverentiam futuri Sacramenti, Isit. *l. 1 Eccl. offic. cap. 27. de Dom. Palm.* Clericat. *ibid.* Fuit postea istud capitilavium prohibitum anno 813. *in Conc. Mogunt.* quia aliqui credebant eam ablutionem esse Sacramentum. Ego vero puto in hoc casu, hanc manus impositionem (concordando cum prece, et oratione quae tunc dicitur) significare invocationem S. Spiritus ad illius cor illuminandum.

§. VI. Deinde Sacerdos benedicat salem, qui semel benedictus alias ad eundem usum deservire potest.

14 15 16 17 Benedicere est officium solius Sacerdotis, Gavant. *Thes. Sac. Rit. p. 4. t. 9.* Sal duplici modo benedici-

tur, nempe, ut ad Baptismum inserviat, et ad faciendam Aquam benedictam, et habet suas formas diversas. Hic loquimur de prima. Salis multae significationes sunt apud mysticos, et morales, de quibus in sequenti paragrapho dicemus. Modo dicendum est, quod iste Sal debet esse candidus si fieri potest, mundus, et siccus; debet enim rei Sacrae inservire. Insuper in vase esse debet, seu patella stannea, vel etiam fictili, dummodo ab aeris incommodis tutetur, ne liquefiat; quod facile evenire potest. Apud antiquos in Sacrificiis Sal quoque erat in usu, Cic. *de divin. Plin. lib. 12. cap. 18.* apud Casal. *de vet. Sac. Christ. rit. cap. 36. §. Sal additur.* Quod clarius praecepit Deus in lege Moysis, Lev. 2. *In omni ablatione tua offeres Sal.*

18 Sal prius benedicatur quam Aqua, quia benedicenda est Aqua cum ejus mixtione; et quia praecedere debet cordis compunctio, idest amaritudo poenitentiae per salem significata, Gavant, *p. 4. t. 19 Rubens de Benedicti.*

§. VII. Deinde imittat modicum salis benedicti in os infantis, dicens etc.

19 20 In nostro casu, inquit Clericat. *l. d.* immittitur Sal benedictum in os baptizandi, ut ejus gustu condimentum sapientiae percipiat, Isidorus Hispal. *l. 2. de Off. cap. 20.* ut lingua Christiani quasi sacra efficiatur, et Deum benedicere, numquam autem maledicere, pejerare, vel blasphemare audeat. Eliseus quoque Proph. Sale fugavit sterilitatem Aquae, 4. *Reg. 2.* Alias etiam mysticas causales exponit Card. Valerius in *The-sauro piar. institutionem, pag. 238.* Advertat Sacerdos ne multum salis in os Infantis immittat, quia valde nocivum esset. Ideo dicit Textus *modicum Salis*, et sufficit parvum granum impalpabile.

§. VIII. Hic pollice in fronte signat Infantem dicens: Et hoc etc.

21 Valent hic quae nuper diximus *ad. §. 4. n. 5.* hujus tituli. Notandum tantummodo ly *Hic* quo estatuitur tempus limitatum signandi noviter Infantem in fronte, quod nec prius, nec postea faciendum est; sed dum dicit, et pronuntiat verba; *Hoc signum Crucis; etc.*

§. IX. Mox imponit manum super caput Infantis, et dicit, etc.

Similiter in hoc loco valent quae paulo ante diximus *ad §. 5.* hujus Tituli *de impositione manus.*

§. X. Postea Sacerdos imponit extremam partem Stolae super Infantem, et introducit eum in Ecclesiam, dicens N.

22 Huc usque Infans, sive Baptizandus stat extra Ecclesiam, seu extra Baptisterium: tempus advenit, ut introducatur: ideo Sacerdos praebet illi partem propriae stolae quasi eum ducens, et trahens ad Templum Dei. Ista impositio extremae partis stolae est quaedam assecuratio ab omni Daemonum insultu, et aliqua participatio fidelitatis. Quid sit stola Sacerdotalis, ejus vis, et mysterium, vide apud Clericat. *de Eucharist. decis. 30. num. 12.*

§. XI. Cum fuerint Ecclesiam ingressi, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus cunctim, clara voce dicit, Credo, etc.

23 24 25 *Oris confessio fit ad salutem*, inquit Div. Paulus. Ita in hoc recitant Symbolum Fidei Adulti Baptizandi, vel Patrini pro Infantibus, quia semper in Catechumenis fidei professio praecedere debet Baptismum. Eunuchus petenti Baptismum, dixit Philippus: *Si credis, ex toto corde, licet, et respondens, ait: Credo Filium Dei esse Jesum Christum*, Actorum 8. Hic recitatur Symbolum Apostolicum, non Nicaenum, quia hoc eodem utebantur Apostoli in solemnibus Baptismo ab iis ministrato per Orbem.

26 Recitatur quoque Oratio Dominicalis a Christo iisdem Apostolis dictata, ut sic Baptizandus cito anticipet petitiones pro acquirenda gratia baptismali; et praecipue ad repellendas tentationes si est adultus: si vero Infans, orant pro eo Patrini, ut Deus dimittat Baptizando debita, nempe originale peccatum.

27 Quaeri potest, cur Oratio Dominicalis a Christo compo-

sita, ut habemus ex *Matth.* 6. inter Sacramentalia adnumere-
tur, quae ab Ecclesia instituta sunt? Cui respondeo cum Sar-
nell. *T.* 4. *ep.* 36. *n.* 5. Ecclesiam hoc loco non enumerare in-
ter Sacramentalia hanc Orationem, sed illius virtutem tantum-
modo demonstrare. Sacramentalia enim ex Sacra Scriptura
quandocumque desumpta sunt, vel ad impetrandam remissionem
peccatorum, vel ad idquirendum adimplementum alicujus pro-
missionis. Hic igitur utimur hac Oratione, ut eo facilius im-
petremus, cum ipsamet Christi verba adhibeamus.

§. XII. Ac deinde, antequam accedat ad Baptisterium
dicat. Exorcismus.

28 29 30 Quamvis Sacerdos, non nisi habita facultate ab
Ordinario, nequeat exercere munus Exorcistae, tamen in ad-
ministrando Baptismo haec restrictio non habet locum. Qui-
libet igitur Sacerdos baptizans valet fugare Diabolum, qui vi-
dens baptizandum jam proximum sacro Fonti, omnibus viri-
bus conatur, ut eum invadat. Sed sunt ne proprie energume-
ni, seu a Daemone vexati Infantes baptizandi? Dicendum est,
quod non. Ad quid igitur isti exorcismi? Inserviunt ad om-
nino destruendum jus, quod habet Diabolum in Anima Infantis
ob peccatum originale: In adultis vero ad eliminanda peccata;
et quandoque ad ipsum diabolum fugandum, qui in aliqui-
bus casibus, ut narrat Menochius *Strom.* l. 4. visibiliter fugere
visus est.

§. XIII. Postea Sacerdos digito accipiat de saliva oris
sui, et tangat aures, et nares Infantis: tangendo vero au-
rem dexteram, et sinistram, dicat, Ephphetha (quod est
adaperire) deinde tangat nares dicens, etc.

31 32 33 Explicatio moralis hujus textus datur a S. Am-
brosio *l. de Sacram.* c. 1. his verbis: *Nares tanguntur. quia
statim divinae cognitionis odor percipitur: quod autem ex spu-
to aures; quia nos ad Dei Verbum percipiendum paratas illas
offerimus.* Nos vero ad litteram alia dicemus Sputo, et Sali-
va usus est Christus Redemptor in sanandis variis infirmitati-
bus, et languoribus. Fecit lutum ex sputo tunc, cum sanavit
caecum a nativitate, *Joann.* 9. Similiter apprehendens surdum,
et mutum, misit digitos suos in auriculas ejus, et expuens teti-

git linguam ejus, et sanus factus est illico, *Marc.* 7. ex quo lo-
co praecipue Sancta Ecclesia desumpsit hanc caeremoniam, et
verbum illud *Ephphetha*, seu *Ephphetha*; quod, ut alibi dixi-
mus est verbum Chaldaicum, et significat *adaperire*, ut ipse
Textus docet.

34 Circa quod verbum, advertendum est, Ministrum Bap-
tismi non teneri ad dicendum (*quod est adaperire*) hoc enim
ibi signatum est caractere diverso, ad explicationem signifi-
cationis verbi illius tam alieni atque inusitati, et non facilis in-
telligentiae. Quare baptizans sufficit si dicat tantum *Ephphe-
ta*: caetera enim ibi posita sunt eo modo quo scribuntur in
Evangelio *Marci* 7. sicuti similiter legitur in Evangelio *Abba
Pater: Rabboni*, quod interpretatur *Magister*, et alia hujus-
modi ad majorem legentium notitiam: de dicto verbo *Ephphe-
ta* clarissimam explicationem dat Rabanus, *Inst. Cleric.* l. 1.
cap. 27. *relat. in c. postea tanguntur* 68. *de consecrat. dist.* 4.

Sed ut redeamus ad Salivam, de illa disertissime tractat cla-
rissimus meus Lanzonus in suo peculiari Tractatu *de Saliva
humana*, *pag.* 56. *et* 121. ubi virtutes naturales Salivae de-
monstrans, probat sanationes a Christo factas, fuisse vere mi-
raculosas.

§. XIV. Postea interrogat nominatim Baptizandum,
dicens: N. Abrenuntias Satanae?

35 Interrogatur nominatim baptizandus, quia super certam
personam cadere debent istae abrenuntiationes, ne redargua-
tur Judex in die judicii. Fuerunt hujusmodi abrenuntiatio-
nes ab Apostolis iustitutae, *l. 3. const. Apostol.* *cap.* 18. Ubi
qui baptizatur, sit ab omni impietate alienus, haeres Dei Pa-
tris, cohaeres Filii sui, qui non renuntiaverit Satanae, et Dae-
monibus, et fraudibus suis, idem Rabanus, *lib.* 7. *cap.* 40. 41.
Quoad Abrenuntiationes vide Lectionem tertiam secundi Noc-
turni in Vigilia Pentecostes, in qua plura de Renuntiatione,
seu Abrenuntiatione.

§. XV. Deinde Sacerdos intingit Pollicem in Oleo Ca-
techumenorum, et Infantem ungit in pectore, et inter sca-
pulas in modum Crucis, dicens, etc.

36 Cum aliae Caeremoniae injungantur baptizandi, quae-

ro hic cur Rubrica tam expresse, in hoc loco, imponat Sacerdoti tantum hanc inunctionem? Et respondeo cum *cap. deinde 70. de consecr. dist 4.* ubi quaeritur, quare a Sacerdote inungantur? Res consecratae a solis consecratis, et sanctificatis pertractari debent. Hoc fit etiam ex institutione Apostolorum, Card. Baron. *Ann. 35.* et ibi Spondan. *num. 11.* et significat *interiorem unctionem Spiritus S. lib. 3. cons. Apost. c. 17.* ungit enim utrumque latus, nempe pectus, et humeros, quae tamquam receptaculum cordis habentur. Istam vero Unctionem cum oleo catechumenorum, et aliam post Baptismum cum chrismate ex Sacerdotali Samarini P. 1. f. mihi 29. b, habemus esse potius usu introductam, quam per aliquam scripturam; et de facto in libris baptismalibus hujus meae Ecclesiae collegatae S. Blasii, qui in hoc Archivio meo asservantur, habeo annotationem ab Archipresbytero Sebastiano Novio, ab anno 1576, die 22. Julii fol. 34. factam per haec verba praecisa, *Hodie Pueros Oleo Catechumenorum ungere caepi de mandato Illustrissimi Episcopi.* Signum evidens hujusmodi unctionem temporibus anteactis in usu non fuisse.

Ratio moralis et mystica hujus unctionis est: ut per Spiritus Sancti dona abjiciat errorem et ignorantiam, et suscipiat fidem rectam.

§. XVI. Hic deponit stolam violaceam, et sumit aliam albi coloris, etc.

37 Huc usque Sacerdos Stola violacei coloris usus est: modo sumit aliam coloris albi. Nota verbum *sumit*: non dicit, *vertit stolam*, et eam in alio colore transmutat. Ex quo inferitur laudabilis usus adhibendi stolas diversas, et omnino separatas, non unicam tantum versicolorem ex utraque parte, ut alibi dictum est, cum Corsett. *Prax. Int. Rational.* qui rationem reddit hujus mutationis, et est quia primae caeremoniae spectant ad Catechumenum, in quo nondum deleta est culpa originalis, cui debetur miseria, fletus, et dolor.

§. XVII. Subinde pollicem; et inuncta loca abstergit bombacio, vel re simili, et interrogat expresso nomine Baptizandum, Patrino respondente, N. etc.

Olei inunctio nullo modo melius abstergitur quam re villosa

ideoque bombacium, seu linum, seu spongia, seu aliquid simile est in usu, quia vere tergant, et absorbent istam Oleositatem.

38 39 Interrogationes debent fieri expresso nomine, ne oriatur dubium, cui vere fiant. Moraliter significat haec triplex interrogatio, ut triplicem maculam cordis, oris et actionis trina confessio aboleat S. Ambris. *l. de Spiritu Sancto. cap. II.* et est de sumpta a triplici confessione Petri de Christi dilectione, *dict. l. 2. de Sacram. cap. 7.*

Istae tres interrogationes continent in se substantiale compendium fidei, et Symboli Apostolorum: prima enim loquitur de Deo Creatore: altera de Redemptore: tertia de Ecclesia Dei.

§. XVIII. Subinde expresso nomine Baptizandi Sacerdos dicit. N. Vis, etc.

Expresso nomine hoc fit, ut Baptismus cadat in certam, et deliberatam personam, non vero in universalem, ut diximus.

§. XIX. Tunc Patrino, vel Matrino, vel utroque (si ambo admittantur) Infantem tenente, Sacerdos vasculo; seu urceolo accipit Aquam baptismalem, et de ea ter fundit super caput Infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum distincte, et attente dicit: N. Ego te Baptizo, In nomine Patris †, fundat primo, et Filii †, fundat secundo, et Spiritus Sancti, †, fundat tertio.

40 41 Diximus suo loco, unum, vel unam, aut unum, et unam posse esse Patrinus. In quocumque casu susceptio Infantis debet esse non tantum intentionalis, sed materialis: uterque enim, ex praescriptione Ritualis tangere debet Infantem, quia iste tactus physicus requiritur ad contrahendam cognationem spirituales; in suscipiendo Infante de loco Sacro, *cap. de his. et cap. ad limina*, excepto casu Baptismi, in quo Patrinus fiat per Procuratorem: quia tunc S. C. Concilii censuit cognationem contrahi a mandante, non vero a Procuratore, *in una Veronem. 29. Martii 1582. Rot. coram Verall. dec. 147. p. 3. Nicol. T. 1. Inst. Civil. l. 1. t. 10. n. 37. Pignatell. Tom. 7. cons. 93. num. 3.*

42 Advertant Patrini in suscipiendo Infante, ut illum teneant, faciem habentem pronam supra Vas, in quo labi debet